

*Diss. morb. spec. 2928 - 9*

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
PECULIARIS IN DYSENTERIA EPIDEMICA  
MIASMATIS PRAESENTIA ET DE IIS QVAE  
ID AVGERE ET PROPAGARE POSSINT

QVAM  
AVCTORITATE ET CONSENSV  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS VITEMBERGENSIS

PRAESIDE  
D. FRIDERICO LVDOVICO  
KREYSIG

PATHOL. ET CHIRVRG. PROF. PVBL. ORD. VICAR. ETC.

PRO SVMMIS  
IN MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORIBVS  
RITE CONSEQVENDIS

DIE XX. MENS. MARTII MDCCXCIX  
H. L. Q. C

PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR ET RESPONDENS  
CAROLVS CHRISTIANVS SCHROETER  
HOHENMELZENA - THVRINGVS  
MEDICINAE CANDIDATVS

WITTENBERGAE  
LITERIS TZSCHIEDRICHII

Pathol. spec.

416, 84

*mbi spec 1125*

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

V I R O

PLVRIMVM REVERENDO, AMPLISSIMO,

DOCTISSIMO

CHRISTOPHORO SIGISMVND O

G E I E R O

ECCLESIAE HOHENMELZENSIS

VERBI DIVINI MINISTRO MERITISSIMO

FAVTORI ET AMICO HONORATISSIMO

HVNC

LIBELLVM ACADEMICVM

D. D. D

A V C T O R

OBSERVANTISSIMVS

CAROLVS CHRISTIANVS SCHROETER.

§. 1.

*I n t r o i t u s .*

**I**nter eos, qui diri nominari merentur atque cum doloribus vehementissimis et cruciatibus ingentibus, nec non magno cum periculo coniuncti sunt, morbos, certe etiam is numerandus erit, quem dysenteriam vocant, qui inde vel accuratissima medicorum et disquisitione et attentione indignus nunquam esse potest. Quamuis autem hoc ipso de morbo medicorum celeberrimorum scripta extant tum bene multa, tum egregia, vnde, nouam eiusdem disquisitionem, praesertim in libello academico, nec necessariam, nec vtilem esse videri possit; attamen, cum non in vniuersum hoc de morbo agere, sed quaedam specialiora solummodo, quae ad dysenteriam pertinent, proferre apud animum constituerim, nemo forte erit, qui hanc meam qualemcunque tractatiunculam vt omnino superfluum reprehendat. Cum quippe in eo essem, vt pro dignitate doctorali medica consequenda, libellus mihi esset conscribendus, de materia dicta nonnulla proferre eo minus dubitavi, quo magis ego ipse anno 1797. in vicinia soli mei patrii, ingentem ab hoc dirissimo morbo, variis in locis tunc temporis grassante, correptorum numerum obseruandi occasionem nactus sum exoptatissimam. Hae igitur obseruationes praecipue libello huic academico conscribendo ansam dederunt, in quo praesertim de praesentia cuiusdam peculiaris miasmatis in hoc morbo; neque minus de eius propagatione per contagium, vt et de iis, quae propagationem eius adiuuare, et miasma ipsum malignius reddere possunt, seorsim tractaturus sum.

## §. 2.

*Dysenteriae Definitio.*

Antequam vero ad propositam a me materiam et ad enarrationem variorum phaenomenorum rerumque obseruatarum huc spectantium progredior, generalia quaedam de dysenteria praemittenda esse praefertim ideo ratus sum, ut hic morbus a quibusuis aliis ventri fluxibus rite distingui posset. Varii quidem dantur morbi, qui *Fluxus ventri* nomine insigniri queunt; de nullo autem, quicumque etiam sit, praeter dysenteriam, in praesenti mihi est sermo, nec ullus cum dysenteria ita cohaeret, ut ab eo seiungi non posset, excepta tantum diarrhoea. Huic enim aliqualis est coniunctio similitudoque, ita, ut interdum limites inter vtrumque morbum, non tam facile, ac cuidam forsitan primo intuitu videri posset, constitui possint. Datur enim v. c. interdum diarrhoea cum febre, doloribus vehementibus, imo etiam tenesmo, torminibus, coniuncta; quae quidem symptomata ad essentialem dysenteriae characterem alias referri solent; hinc, quae nam sit differentia, nunc, dysenteriam definiendo, accuratius determinari debet. Hunc autem morbum sic definitio: Dysenteria est excretio aluina, qua paucae vel nullae expelluntur faeces, potius vero mucus quidam, plerumque sanguine mixtus, cum febre plus minusue insigni, doloribus ingentibus, et ut plurimum tenesmo stipata. *Vox dysenteria* autem descendit a *δύσ*, difficile, et *έντέρον*, intestinum, Forsitan ea de causa ita nominatur, quia contenta intestinorum cum difficultate et dolore eiiciuntur, et intestina officio suo difficillime fungi possunt. Lingua vernacula hunc morbum *Ruhr* vocat.

## §. 3.

*Dysenteriae diuisio.*

Ad dysenteriae diuisionem nunc quid attinet, eas medicorum sententias, quae mihi potissimum sunt cognitae, hic afferre mihi liceat. Diuiditur autem a variis, in rubram et albam, benignam et malignam, epidemicam et sporadicam; porro in inflammatoriam, bilioso-putri-

dam, et putridam, et secundum SELLIVM in mucosam, cum aliis morbis variis complicatam; denique in chronicam, in castrensem. Nonnulli medici inter dysenteriam *cum* et *sine febre* distinguunt; sed, vt opinor, sine ratione sufficienti; etenim, vt et alii assumunt, semper adest febris, magis vero vel minus insignis et conspicua. Tandem et quidam *dysenteriam haemorrhoidalem* nominant, quae tamen magis abusive sic appellari videtur; ita, vt pro vera dysenteriae specie habenda non sit; hinc nomen eius tantum hic adduxisse sufficiat.

## §. 4.

*C a u s s a e.*

Quemadmodum autem, quocunque in morbo, in eius causas sollicite inquiri debet, ita et in dysenteria; quaenam autem hae potissimum sint, nunc videamus. Ad *causas occasionales* quod attinet, plerumque adducuntur: vicissitudines aëris, dum nox frigida calidum excipit diem; id quod praecipue tempore aestiuali, versus autumnum, fieri solet; deinde si calor ingens et siccitas aëris per aliquod tempus durant. CVLLENIVS <sup>1)</sup> ita scribit: „Hic morbus aestatis et autumnii maxime tempore prodit, cum magnus aëris aestus praecesserit, eoque magis, si cum calore siccitas coniuncta fuerit.“ Huc porro referuntur transpiratio suppressa, victus crudus, vsus fructuum horraeorum immaturorum, impuritates primarum viarum, tempestates cum pluvia refrigerante, quae post calorem sequitur. CVLLENIVS <sup>2)</sup> annotavit: „Calor solus ad hunc morbum produendum non sufficit sed saepius a frigido et humido aëre eum oriri obseruamus; praecipue enim tunc temporis grassari solet, vbi magnum aëris atmosphaerici calorem pluvia frigida excipit.“ Ad has denique causas etiam loca paludosa in vicinia urbium aut pagorum sita referri merentur, e quibus nempe multi exhalantur vapores putridi. De Miasmate, vero quodam peculiari, quod nonnulli medici assumunt, infra vbe-

1) vid. *Anfangsgr. d. pract. Arzn.* pag. 599. §. 1073.

2) loc. cit. §. 1073. in \* I.

rius mihi erit agendum. *Causa, praedisponens* in laxitate et debilitate intestinorum, nec non in reactione imminuta consistere videtur. Ratione *causae proximae* vero inter se dissentiunt medici, ut enim aliquos recentiorum allegem, CVLLENIVS 3) eam in constrictione coli praeternaturali; MATTHAEI 4) in irritatione intestinorum et spastica constrictione fibrarum, qua dolores, tenesmus, euacuatio sanguinis et mucii producat, consistere affirmavit. REILIVS 5) eam in aucta intestinorum irritabilitate quaerit et inprimis rectum intestinum ipsi hac irritabilitatis exaltatione correptum videtur. HVFELANDIVS 6) vero eam in conuulsivam irritationem et oscillationem intestinorum crassorum et in specie recti intestini ponit, cui sententiae etiam HVNNIVS 7) subscribit. Meam vero opinionem quod attinet, causa proxima mihi quoque in irritatione et constrictione constare videtur; simul vero assumi tamen potest, irritationem eam et constrictionem non solum in fibris in superficie intestinorum interna positae, verum etiam in finibus arteriarum se exserere. Fibrarum quippe intestinorum tum irritationem, tum constrictionem spasmodicam in dysenteria adesse, dolores, spasmi, motus peristalticus auctus, inflammatio, nec non tenesmus, ut mihi videtur, aperte docent. Simul vero utrumque statum etiam in finibus vasorum ipsis adesse, ex imminuta in canali intestinorum excretionem ferosi humoris, qui alias ab irritatione internae superficiei canalae intestinorum augeri solet, nec minus ex sanguinis vel pituitae per anum excretionem, quae repetitis toties in die vicibus succedit et parcissimam tantummodo singula vice copiam ex-terminat, apparet; hanc vero irritationem miasmatis peculiaris esse effectum, inferius probare studebimus.

§. 5.

3) loc. cit. pag. 603. §. 1078.

4) *Ueber die epidemische Ruhr, Hannover 1797.*

5) F. G. GOEDE *Diss. de pathologia dysenteriae, Hal. 1794. p. 34.*

6) *Journal der prakt. Heilkunde, 1. Bd. 1. St. p. 76.*

7) *Abhandl. üb. d. Ursachen u. Heilung der Ruhr, und deren Complicationen, Iena 1797.*



## §. 5.

*Miasmatis in dysenteria praesentia.*

Sed de generalibus haec nunc sufficiant; ad propositum meum, nempe *miasma*, potius reuertor. De hoc autem acturo operae pretium erit, vt quid sub eo intelligam, addam. Est autem mihi *miasma*, materia quaedam specifica, procul dubio subtilissima, extra corpus animale oriunda, quae in vno alteroue corporis animalis loco deposita ipsique communicata ita agit, vt morbus singularis inde erumpat. Cuiusnam vero sit indolis, aut quomodo elaboretur, res est adhuc inter medicos dubia, nec vlllo pacto decisa. Praesentia vero talis in dysenteria miasmatis, diuersis ex rationibus probabilis videtur: et primo quidem, si dysenteria a solis illis caussis ortum duceret, quae plerumque assumuntur, ea certe frequentius, immo forte in hoc vel illo loco, quouis anno, oriri deberet. At vero, secundum celeberrimorum virorum experientiam multiplicem, sub simili tempestate et sub rerum ceterarum, quae huc facere possent, aequali constitutione non semper tamen morbi similes producuntur, sed e contrario morbi saepe prorsus simillimi sub tempestate penitus opposita, id quod maxime de dysenteria annotatur; hinc a sola aëris conditione eam pendere posse, vix credibile erit. Deinde etiam ad miasmatis praesentiam ideo concludi potest, quia pluuia frigida post calorem multos saepe homines refrigerio afficit et tamen vnus vel alter tantum vel nullus inde dysenteria corripitur; porro, quod non totus terrae tractus simul, super quem delapsa est pluuia, hoc morbo mulctatur, sed vnus solummodo plerumque primum locus, qui ceterum cum reliquis magis vel minus prope ei adiacentibus eodem coelo et tempestate gaudet; donec paulatim morbus ab vna ad plures personas et ab vno loco ad alios locos propagatur. Similibus vero obseruationibus ductos et alios in hanc descendisse video sententiam, quorum placita, cum ad confirmandam meam facere possint, silentio non praetereunda esse credidi. Sic v. c. in diario medico, inuentis et theoriis medicis exponendis et diiudicandis dicato, legitur: 8) „ad vicissitudi-

8) *Journal der Erfindungen, Theorieen und Widersprüche in der Natur- und Arzneikunde*, 14t. Heft, pag. 20. 21.

nes aëris et tempestatis aliud omnino accedat necesse erit, quod facit, ut singulae tantummodo regiones et in his pars solummodo incolarum dysenteria corripiantur.“ Apud RICH. MEAD 9) legitur: „multum valere in morbis vulgaribus gignendis manifestas aëris qualitates, extra dubium est, quibus vero et aliae accedunt causae, quae vim illarum multis modis, nunc augendo, nunc imminuendo, immutant.“ Refert etiam ibi MEADIVS, SYDENHAMIVM dixisse, varias esse annorum constitutiones, quae neque calori, neque frigori, nec sicco humidoue, ortum suum deberent; sed ab occulta potius et inexplicabili quadam alteratione in ipsis terrae visceribus pendeant. Non minus WILL. CULLEN ita scribit: „Incertum omnino est, num forte dysenteria non nisi tunc a refrigerio nascatur, si specificum quoddam virus in corpus antea iam intrauit; quid? quod, omnibus recte pensitatis, iure meritoque materiam contagiosam specificam, ut remotam dysenteriae causam considerare in quocunque casu licebit.“ Cel. vero MATTHAEI (l. c.) peculiarem, ignoti quidem ingenii, sed specificam materiam assumendam esse credit, quae, cum in aëre producat in eoque diffusa sit, per vasa cutis absorbentia et pulmones ad viscera deferatur, crassa imprimis intestina, quippe huius stimuli irritationi prae ceteris obnoxia, extimulet ibique spasmodicam fibrarum constrictionem procreet, ex qua dolor, tenesmus, sanguinis et pituitae excretio oriantur. Quodsi igitur celeberrimorum virorum auctoritas sententiae, quam amplexus sum, non parum fauet, ea quidem sequenti observatione a me facta multo magis adhuc corroborari videtur. Anno nimirum 1797 in patria mea dysenteria periculosa epidemica oriebatur, quae sensim sensimque in multos locos propagabatur, multosque homines e viuis tollebat. Mense Iulio in pago, *Prosen* dicto, grassari incepit, et quidem ab initio paucos tantum corripiebat, eiusque symptomata vix erant vehementia aut maligna; sed sensim sensimque morbus non solum malignior reddebatur, verum etiam magis se diffundebat, et quidem in ea solum ab initio parochia, in qua situs erat pagus antea dictus, qui morbum primus quasi fouebat; et quamuis nonnulli pagi huius parochiae procul distabant,

9) in *Monitis et praec. medicis*, Lips. 1759. pag. 25.

attamen hi aequae ac omnes omnino in ista parochia pagi a dysenteria inuadebantur; cum e contrario alii pagi, propius quidem siti, sed ad aliam parochiam pertinentes, a morbo per aliquot septimanas immunes restarent. Quemadmodum autem morbus a prima parochia sese disseminabat, ita idem etiam postea aliis parochiis, praesertim *Grunae* (quae est ecclesia sic dicta *mater*), et *Domsen* (*filiae* illius) accidit; quae quidem parochia post *Profen* prima erat, in qua nonnulli homines a morbo corripiebantur; et in hac quoque sensim sensimque, ut in priori, morbus magis diffundebatur et tandem per totam parochiam propagabatur; nec minus obseruabatur, vicinos pagos, qui sub hac parochia non siti erant, liberos a morbo relinqui, et singulos tantum ab eo inuadi. Annotari tamen simul meretur, multo serius, nempe cum iam iam mensis Septembris accessisset, hinc inde in variis locis antea a dysenteria liberis, singulos incolas dysenteria laborasse; id quod forte inde euenit, quia vel quis e pago non infecto in alium dysenteria correptum veniebat, vel quia quis e loco infecto contagium in alium tulit; attamen non tam vehemens, ut antea morbus grassabatur; ea forsitan de causa, quia autumnus imminerebat, vel quia, secundum variorum opinionem, ob tempestatem eo tempore consuetam, morbus iste vim suam tanta vehementia, ut antea, non amplius exferere poterat. Ex his antea dictis igitur, luculenter, ut opinor, apparet mihi que maxime probabile videretur, peculiaris miasinatis praesentiam vix ac ne vix quidem negari posse; idque eo minus, cum plures diuersorum locorum homines se refrigerio aut alii, sed omnes eadem causae sic dictae occasionali, exponerent, nec tamen omnes dysenteria corriperebantur; sed ab initio in vno loco grassari inciperet morbus, donec paulatim in alios, et primo quidem in eos, qui ob sacra celebranda priorem locum saepissime frequentabatur, quamuis remotiores ab eo erant, quam alii, deinde vero in alias parochias eadem ratione, deferebatur. Similes vero obseruationes etiam ab aliis iam factas legimus. Sic Cel. IAWAND,<sup>10)</sup> postquam causas occasio-

B 2

10) vid. D. GE. HEINR. IAWANDS *Beobacht. einer Rubrepidemie, Riga 1794.* pag. 98.

nales in totam regionem agentes epidemiae ab ipso descriptae dysentericae proposuit, annotat: „Nihilominus vicinorum pagorum incolae a dysenteria immunes manebant, quamvis-notissimum mihi est, eos nec refrigerium vitasse, nec a potu frigido sub corporis exaestuatione magis abstinuisse, quam pagi *Lüchfens* incolas, in quo morbus vehementer grassabatur.

## §. 6.

*Miasmatis generatio probabilis.*

Forſitan tamen iſtae cauſſae iamiam dictae occaſionales, refrigerium, viciffitudines aëris ſubitaneae etc. ad generandum eiusmodi miasma ſuum conferunt, ita, vt ſine illis hoc non produceretur. Memorable enim et omni attentione dignum mihi videtur, quod pagus antea dictus, in quo dysenteria primo graſſari incepit, paludibus ſtagnantibus et putridis circumdatus, imo fere incluſus eſt ibique interdum inundationes eueniunt, quibus non raro vegetabilia, varia infecta, vermes, amphibia et alia in putredinem abeunt. Quae quidem ſententia aliorum ſuffragio fulcitur. Sic Cel. ROSA: <sup>11)</sup> „Vtique, inquit, ex corrupta aquarum colluue, aut coeno telluris, aut graui aliquo locorum vitio, peſtilentes ſaepe morbi naſcuntur; erraret autem qui crederet, vapores illos, quorum cauſſa morbi tales emergunt, tuſiſſe in corpora contagiorum materiam aut contagioſos ipſos fuiſſe; non ſunt contagia illa, ſed vere miasmata, nempe inquinamenta, quae humores corporum grauitè vitiant, atque corpora ipſa labefactant, proin poteſt illorum vi talis et tanta in corporibus fieri permutatio, vt et morbi inde enaſcantur atque vere contagioſi ſint et peſtilentes.“ Forſitan vero vapores et exhalationes, de quibus antea facta eſt mentio, cum aliis, nobis incognitis materiis, coniunctae et vnitae, certis et ſtatis temporibus atque tempeſtatibus, quarum ratio nos quoque latet, ad tale miasma producendum ſimul cooperari poſſunt. Cauſas quidem illas, plerumque pro occaſionalibus huius morbi aſſumtas et

<sup>11)</sup> vid. De epidemicis et contagioſis acroaſis, Neapoli 1788. §. VIII. n. 60. pag. 109 ſq.

iamiam nominatas, per se, immediate, et sine miasmate veram dysenteriam epidemicam gignere non posse arbitror; forsitan vero illam producere poterant, quam sporadicam nominant; nisi, alia sub conditione, liceat, diarrhoeam malignam eam vocare, quippe quae, ut supra dictum est, a dysenteria non semper facile distingui potest. Ad hoc autem magis, ut puto, probandum, ea legantur Medicorum scripta, quae de morbis castrensibus agunt, atque oriri quidem, quovis fere anno, in castris dysenteriam, sed non semper epidemicam, perhibent. Has autem causas, tam ad complicationem, quam ad malignitatem morbi, multum conferre posse, haud nego, hoc potius cum natura earum bene convenire videtur. Fortassis etiam quaedam harum causarum virus illud dysenteriae, in humoribus corporis animalis iam praesens, citius serius ad intestinorum canalem alliciunt; quam quidem coniecturam, sequentes observationes probabilem reddere videntur. Primo nimirum famulitium, serui et ancillae, nec non mercenarii, in pagis, tempore aestivo, magno praesertim sub aëris aestu, qualis anno 1797 ferendus erat, dum ruris labores peragunt, valde defatigantur; hinc viribus corporis imminutis atque fere quodammodo exhaustis, nec non sudore copiosissimo perfusi, circa vesperem, peracto labore, domum revertuntur, et prae lassitudine locum fere quemcunque, sit horreum, sit receptaculum foeni, sit humus, sint ligna, sint lapides, cubilis loco sibi eligunt, et tam ob lassitudinem, quam ob aestum, corpore copiose infudante, statim obdormiunt. Nocte autem sequenti subitum refrigerium interdum aëris calorem excipit, potissimum, pluvia cum fulgure et tonitru accedente; aër antea calidus mutatur in frigidum; atque infelices illi, qui ob ingentem lassitudinem nimis profunde dormiunt, non, nisi membris rigidis redditis, euigilant. Hinc, de quo quidem nemo dubitabit, perspiratio supprimitur; ut in dicta epidemia mihi ipsi saepius observare licuit. Hi tamen a dysenteria postea correpti tam graviter ab ea non tenebantur; nec periculo tam gravi obnoxii erant, nec tam multi moriebantur, ac eorum, qui sine tali causa manifesta in hunc morbum incidebant. Numne forte hic suspicari quis posset: materiam perspirabilem suppressam et

ad canalem intestinorum ductam, miasma illud, in corpore quidem praesens, sed nondum satis evolutum, vel simul secum eo ferre, vel per irritationem, quam illa materia in intestinis producit, eo allicere, vel materiam perspirabilem suppressam tali fortassis aerimonia gaudere, qualem miasma nondum satis evolutum continet, et ipsam nonnumquam dysenteriam prouocare posse, quae vere catarrhalis dici possit, nec tanta vehementia, quae in aliis conspicua erat aegrotis, in corpora mortalium saeuat. Secundo miasma illud ab iis, quae in canali intestinorum irritationem efficiunt, ad eum allici posse, medicamenta purgantia, quae a nonnullis, qui sani videbantur, sumpta, statim dysenteriam producebant, confirmare videntur. Hinc etiam, malignitas huius morbi, plus minusue praesens, praesertim inflammatio, ab evolutione miasmatis, plus vel minus maturi et ad efficaciam suam exferendam apti redditi, simul cum complicationibus aliis, pendere mihi videtur.

## §. 7.

*Miasmatis propagatio.*

Quibus nunc praemissis, ne a scopo meo aberrare videar, nunc ad propagationis miasmatis explicationem propero. Miasma quidem ab initio, ut mihi videtur subtilis tantum est materies; sicut in supra laudato libro <sup>12)</sup> legitur: „ex volatili tenuique materie, tanquam spiritu coaceruari perspicuum est.“ Sed si morbus per aliquod tempus grassatus est, ea materies magis maturescit quasi in corpore aegroti ipso et perfectior in eo elaboratur, ita, ut nunc longe citius et facilius per contagium corporibus variis communicari queat; quod vario modo fieri potest. Plerumque contagio in habitaculis et iis in locis accidit, ubi plures personae, tam sanae, quam aegrotae simul versantur. VNZERVS <sup>13)</sup> hinc inter alia: „Quodsi ad causas antea nominatas aliae accedunt, v. c. plurimorum hominum arcto in spatio coaceruatio, ut in nauibus, castris, carceribus fieri solet; morbus inde

<sup>12)</sup> de epidem. et contag. §. XII. n. 259.

<sup>13)</sup> vid. *Arzt, eine medicin. Wochenschr.* XII. Bd. p. 85.

ad humorum depravationem producendam proclivis redditur, quae cum dysenteriae causa coniuncta hanc non potest non multo periculosiorem reddere. Etenim aër per aegrotorum transpirationem plus minusue adulteratus etiam cum sanis communicatur, qui tunc miasmate inquinati in alias id ferunt habitationes et sic eiusdem propagatio per omnes hominum congregationes, adiuvari potest. Sic v. c. propagatio fieri potest per eos, qui a dysenteria nondum plenarie restituti sunt, aut eo tantum gradu ab ea tenentur, ut ambulare possint, nec decumbere cogantur, ut et per eos, qui graviter decumbentes visitant et in seipsum et alios morbum transferunt. Conuenticula vero, quae huc spectant, varia sunt, et partim ut evitabilia, partim ut inevitabilia considerari possunt. Ad haec pertinent congregationes in templis, ibi enim frequentia utriusque sexus, ut et infantes, conveniunt, tam sani, quam et tales saepe, qui eatenus tantum reconvaluerunt, ut non sine molestia in templum ire possint, deinde, qui dysenteria, minus complicata, laborant, nec decumbere tenentur, sed ambulare possunt. Eo facilius autem in templis contagium propagari posse, quisque intelligit, quo magis in congregatione nimis frequenti, tum adhuc aegrotorum tum sanorum, qui in templis, per duas tresve horas, aestivo tempore, interdum sub maximo solis calore detinentur, aër in ipsis templis pestilentialem fere assumit indolem. Accedit et hoc, quod antea multi unius et quod excurrit, horae spatio remoti, iter longum facere coguntur et insudante iam corpore in templum intrant. Porro huc spectant personae aegrotis inservientes, clerici visitantes, medici, et interdum, ob codicillos componendos, personae iudiciales, qui omnes necessario in aegrotorum domos venire debent, non minus, qui mortuos ad sepulchrum portant. Visitationes etiam alias, non quidem necessarias, sed tamen maxime laudabiles, ut: parentum, liberorum, affinium et propinquorum, huc referendas esse nullus dubito; minus tamen necessarii sunt comitatus funeris. Ad conuenticula vero evitabilia, imo nociva refero, ritum illum, nullo pacto approbandum, quo, defuncto sepulto, sic dictae epulae funerales, in aedibus defuncti celebrantur. Ibi enim amici, vicini, et qui comitati sunt funus,

eo consilio conueniunt, vt, comedendo et bibendo, epulas illas celebrent, aedibus, vel prorsus non, vel pro parte tantum a miasmate purgatis, aut, vbi forsitan adhuc vna pluresue personae morbo dicto adhuc decumbunt. Hic quilibet euidentissime perspicere potest, contagium facillime vim suam exserere posse, praesertim, cum ibi varii praesentes esse possint, qui maiori minorue gradu ad morbum illum dispositi sunt. Eo magis autem resorptio materiei locum habere potest, quia varii amici et vicini illius pagi, more ibi consueto, epulis illis interesse vel inuiti coguntur, inde vero metu et fastidio quodam saepe corripiuntur, quae eo magis resorptioni fauent.

Quae quidem hucusque dicta sunt, maxime ad pagum et parochiam supra nominatam pertinent; sed et dantur alia, quae propagationem miasmatis plura in loca adiuuant. Inter haec silentio praetereundae nullo pacto sunt nundinae. Ingens enim, vt neminem fugit, hominum confluxus, e multis, tam propinquis quam remotis regionibus, hic concurrat; ideoque facili negotio fieri potest, vt aut sani ad nundinas accedant ibique contagio afficiantur; aut etiam tales, qui morbo quidem iam affecti sunt, sed tamen, quia decumbere non coguntur, ob negotia necessario peragenda, adueniant et contagium cum aliis communicent; hinc per varia loca, secundum forsitan omnes coeli plagas, morbus diffundi et propagari facillime potest.

His etiam non immerito annumerari possunt 1) cauponae, in quibus saepe magna hominum adest concio, tam loci incolarum, quam ex aliis regionibus; et vbi praesertim per saltationes miasmatis contagium propagari potest. Sed longe maiorem attentionem 2) eae latrinae merentur, quibus et sani et aegroti simul vtuntur, ob ascendentem e fecibus aegrotorum foetorem detestabilem, qui maxime est nociuus et cum sanis contagium communicare potest. Qua quidem  
de

14) vid. *Ej. medic. Handbbuch*, 2. Tb. §. 105. n. 3.



de re VNZERVS <sup>14)</sup> sic scribit: „Foetor inprimis dysentericorum fugiendus est, quippe quo contagium maxime communicatur. Quodsi non omne cum eiusmodi aegrotis commercium euitari potest; aër certe cubilis aegroti quantum fieri potest, purus seruetur; aëri libero saepe aditus concedatur et cubilis aër vaporibus aceti saepissime impregnetur; vasculum recipiendis fecibus destinatum frequentissime purgetur aceto ex parte impleatur vel puluis carbonum immittatur; porro vero feces non in latrinam, qua sani utuntur, eiiciantur, sed in fodinam quae humo mox iterum repleatur.“

## §. 8.

*Propagatio miasmatis et quomodo peius reddatur.*

Interdum autem casus eueniunt, insoliti et prorsus inopinati, qui raro, imo forte rarissime accidere solent, quibus morbus cum eoque miasma augeri peiusque reddi poterit. Huc refero nunc incendium in pago illo *Profen*, ubi primo dysenteria grassari incepit, a fulgure, circa mediam noctem, ortum. Plurimi homines, fulgure, tonitru et eruptione incendii ipsius perterriti, partim paucis tantum vestibibus induti, et inter hos tales quoque, qui vel erant praedispositi, vel morbo ipso reuera iam laborabant, ut ignem extinguerent, ruebant. Non minus alii, grauius a morbo affecti omnes intendebant vires, ut bona sua flammis vel ut se ipsos maximo periculo vitae eriperent. Hinc iis, qui morbo iam affecti erant, quippe terrore illo concussis, subitaneae simul vicissitudini caloris et pluuiae frigidae expositis, partim etiam paucis tantum vestibibus tectis, morbus non solum peior reddebatur, verum etiam a confluxu hominum eorum, qui misericordia ducti, eo consilio, ut afflictis opem ferrent, ignem extinguerent atque bona aliaque aedificia ab igne libera seruarent, aduenerant, miasma per contagium magis propagabatur; ita, ut breui tempore variis in aliis locis, quae antea ab hoc morbo immunia resisterant, morbus ipse erumperet et diffunderetur.

C

## §. 9.

*Augmentatio miasmatis per immunditiam, nec non per negligentiam in cultu et diaetetica cura aegrotorum commissam.*

Ad ea autem, quae ad dysenteriae miasmatis malignitatem augendam, et ad contagium producendum suam conferunt, omnino etiam immundities, saepissime ingens, conclavium nempe, cubiculorum atque stragulorum aegrotorum aliaque referri possunt. Aegroti e lectis surgunt et dum fellam perforatam petunt, conclavis solum calcant; sella in qua vas pro recipientis fecibus continetur, saepe non est tecta, sed aperta; ideoque semper foetorem spargit ingratissimum, imo, ut supra dictum est, maxime nocivum; quae quidem omnia tunc potissimum euenire solent, si, qui aegroti inserviant, nulli adsunt; eo enim tempore, quo dysenteria grassatur, plerumque messis incidit, ubi sani de colligendis fructibus solliciti sunt, et ob morbum epidemicum nimis pauci tantum, qui operas messis tempore consuetas in se suscipiant, superesse solent. Aegrotus itaque sibi ipsi saepe relinquitur; hinc non raro ipsam conclavis solum, ut et ipsa stragula excrementis aluinis inquinat. Sic autem aër in conclavi veneno dysenteriae magis magisque adulteratur et immissio aëris puri in conclave, tam necessaria et salutaris, maximam partem superflua, vel etiam, ob praeiudicium, nociva habetur. Accedit et hoc, quod aegrotus, solo tectus indusio, nudisque pedibus conclavis solum calcat, quod, ut in pagis plerumque est consuetum, lapidibus stratum est, sic refrigerio se semper exponit eoque morbum suum magis reddit complicatum, simulque etiam contagium ipsum magis auget. Denique, proh dolor! indusiorum quoque et aliorum, quae ad stragula pertinent, linteorum mutatio saepe forte intermittitur, quae tamen nullo pacto negligenda est et quam laud. VNZER (l. c.) his verbis commendat: „lintea, quae aegrotus saepe mutare debet, aëri puro exponenda et sulphure, aut vapore aceti suffumiganda sunt; id quod

et de stragulis linteis intelligendum est.“ Aër autem eo maiori gradu impurus redditur, si in conclavi paruo plures simul decumbunt aegroti; id quod et laud. HVFELAND<sup>15)</sup> confirmat sic: „vbi quatuor vel quinque aegroti in angusto inclusi erant spatio per excretiones suas aërem pestilentialem reddebant; ita, vt epidemia ad summum fere gradum accederet.“ Vt miasma dysenteriae peius reddatur, varia quoque suum conferunt animi pathemata; vt: metus, terror, tristitia; porro etiam campanarum mortem alicuius aegroti paulo ante infecutam, vel pompam funebralem indicantium, sonus; nec non vetularum, dum aegrotos visitant, nugae et infelix consuetudo, qua, aegrotorum conditionem et aspectum pessima quaeuis indicare, saepe non sine maximi moestus signis, profitentur. Ita et supra cit. D. IAWAND<sup>16)</sup> dicit: „Sic hoc et aliis in locis mos erat, vt statim post mortem alicuius, per integram horam, campanae mortuis dicatae (*Todtenglocke*) sonus audiretur; id quod sepultura eueniente multo diutius repetebatur. In his diebus et horis semper, praesertim eos aegrotos, qui sensibiliores erant, flentes et in peiori morbi statu deprehendebam, quam antea eos reliqueram; et plerumque de virium prostratione maiori, doloribus auctis, excretionibus aluinis frequentioribus et anxietate praecordiorum querebantur. Ii, qui fere reconualuerunt, frequentioribus etiam aquosis excretionibus aluinis vexabantur. Vetularum praeiudicia non minus suum conferebant, vt aegrotis in vehementissima animi pathemata coniicerentur.“ Huc vero et consuetudo prauissima et poenis seuerioribus coërcenda, mortuos publice exponendi et excrementa in vias publicas effundendi, omnino pertinere videtur.

<sup>15)</sup> vid. Ej. *Journal d. pr. Arzneyk. u. Wundarzneyk. Iena. 1795. 1. Bd. p. 80.*

<sup>16)</sup> libr. cit. pag. 109.

## §. 10.

*Augmentatio miasmatis per varia praeiudicia.*

Medicamenta illa, vniuersalia et specifica nec non praeferuatiua, a medicis, in salutem publicam, commendata, saepe plus damni, quam utilitatis afferunt et interdum vt pugio in infantis manibus considerata sunt. Multi enim e plebe, iudiciis iustis ferendis nullo pacto assueti, medicamentum quoddam, quod vna vice salutarem effectum edidisse viderunt; sine omni discrimine ad morbum aliquem vincendum semper aptissimum esse credunt, id quod tamen certis forsitan sub conditionibus et in certa tantum dosi salutare esse potest. Hoc et de spiritu frumenti in iam dicta epidemia valebat, qui quidem fanis, a dysenteria non correptis, apta et iusta copia haustus, dum transpirationem insensibilem quodammodo conseruat, interdum, vt varii medici opinantur, salutaris esse potest. Rusticus autem, illi prouerbio: multa multum iuuant; adhaerens, spiritum hunc, in quem baccas iuniperi mittebat, in ea ingurgitabat copia, vt quiuis fere semper lagenam, hoc spiritu repletam, secum portaret, et vix tanta copia in ea regione coqui posset, quanta desiderabatur. Non solum autem vt praeferuatiuum quoddam, sed et tunc adhuc spiritum illum bibebant, si a dysenteria iamiam erant correpti.

## §. 11.

*Praeiudicia noxia et notiones, respectu medicinae, falsae.*

Plerumque rustici nostri vel prorsus nullis vtuntur medicamentis, vel pauca tantum assumunt, aut perniciosissima medicamenta ex Empiricorum et praesertim carnificum manibus adhibent; aut sibi ipsis sunt proprii medici et principium illud sequuntur: optimum remedium esse id, quod concupiscant; ex laud. IAWAND 17) veritas horum verbo-

17) libr. cit. pag. 111.


rum quam luculentissime apparet; paucis tantum exceptis, rusticus in morbis ea solum adhibet, quae guttur suum desiderat; et in leuiori morbo, qui per vires naturae tolli potest, prorsus nullo vitur medicamento. Hoc vero maximam partem ex parsimonia, diffidentia, fastidia medicamentorum et e falsis notionibus prouenire videtur. Sic antea cit. LAWAND<sup>18)</sup> dicit: „Forsitan etiam huc facit falsa rusticorum conclusio, e fontibus religiosis orta, morbos a Deo esse missos; itaque humanum auxilium esse inutile; hinc ad religiosa confugiendum esse remedia, et a medici auxilio nihil expectandum, quod solummodo per preces acquiratur.“ Alii, grauioribus morbis laborantes, si animaduertunt, naturae vires ad morbum tollendum non sufficere, tandem vel proprio motu, vel aliorum suasu, ad medicastro, imo ad carnifices se conuertunt; quod apud hos aliquid miraculosi in curandis morbis quaerunt, vel etiam quod credunt, homines illos morbum vel nullis, vel paucis medicamentis, sanare posse. Quibus praeiudiciis et conclusionibus falsis, ducta plebs etiam auxilium beneficum negligit, ita, vt, dum vel prorsus nulla medicamenta sumit, vel medicastroorum consilia sequitur, miasma peius reddatur, et per contagium magis magisque propagetur, nec non plures homines patriae sic rapiantur. Sic et praeiudicium illud, quo tam salutarem clysmatum in dysenteria applicandorum, vsum plerique auersantur, hoc loco silentio nullo pacto praeteriri potest. Remedii huius laudibus tantum abest, vt rusticus aures praebeat, vt id plerumque pro sic dicta inunctione vltima habeat. Non minus etiam aliae a medicis praescriptae regulae in dysenteria nullo pacto rite obseruantur, e. c. in iam iam adducta illa epidemia, quae iussu Illustr. Regiminis Cizensis per Physicum meritissimum, D. BESSER, praescriptae erant regulae diaeteticae, non vbique et a paucis tantum seruabantur; quamuis rustici istius regionis prae multis aliis mente animoque exculi sunt, multisque aliis hac ratione praeferrri possunt. Sic etiam, quia huc omnino pertinet, nomino morem, contemplandi vrinam, qui forsitan inter-

18) libr. cit. pag. 120.

dum a nonnullis medicis literatis ipsis obseruari solet, ad morbum nimirum ex vrina diiudicandum, quamuis aegrotum ipsum non viderunt, qui nullo pacto approbari potest. Ita etiam scripsit D. SCHWELCKARD: 19) „Numne etiam medicus auarus aegroti vrinam desiderat non, vt morbum ex ea cognoscat, sed, vt aliquot grossos ex eius inspectione lucretur? Quomodo vero tunc plebs medicum rationalem a falso discernere potest, si ille tantum lucrifaciendi causa parem se huic gerit?“ Tandem etiam medicorum dissensus ad aegrotorum lectus, aut publica reprehensio medicamentorum ab alio medico antea adhibitorum, nec non totius methodi medendi, plebi, imo forsitan interdum cultioris conditionis homini, fiduciam in medicinam antea positam imminuet, ita, vt multi, qui lubenter se medico confidissent, morbum nunc naturae viribus committant? Hinc et laud. D. SCHWELCKARD: 20) „Noune dantur medici, qui ex philautia, superbia et quia se solos sapientes esse credunt, vt populo aliorum medicorum doctrinam suspectam reddant, omnem nauant operam. Quae quidem viuendi ratio, amore erga alios spreto, non solum auctoritatem artis medicae in vniuersum imminuit, verum etiam confidentiam erga singulos medicos infringit; quippe plebs iudicii ferendi expers cum quolibet fere medicastro pares eos habet.“

19) vid. HVFELAND. cit. *Journal*, 4. Bd. 3. St. pag. 412.

20) vid. HVFELAND. *Journal*, l. c. pag. 414.



## T H E S E S.

## I.

*Caro vitulina iis, qui a febre intermittente reconualuerunt,  
non est aptum alimentum.*

## II.

*Qui laqueo gulam sibi frangunt, apoplectice moriuntur.*

## III.

*Ex plumbo parata medicamenta interna venenis iure annu-  
merari possunt.*

## IV.

*Euacuantia saepe loco anodynorum adbiberi possunt.*

## V.

*Sine adpectu aegroti nulla fieri potest diagnosi certa.*

VI.

*Medicus ad aegrotum vocatus, accedere non semper tenetur.*

VII.

*Etiam clerici, contra officii rationem, medicorum consiliis  
interdum contrarii sunt.*

VIII.

*Vsus decocti pulveris glandium quercinarum tostatarum in ob-  
structionibus glandularum magis nocere, quam prodesse  
videtur.*

IX.

*Morbo vix superato templum confestim frequentandi, mos est  
magis vituperandus quam laudandus.*

X.

*Spiritus vini in dysenteria magis nocere, quam prodesse videtur.*

---